297

MONUMENTUM HONORIS ET MEMORIÆ
VIRO
ERUDITIONE, INSIGNI PIETATE atqve VIRTUTUM GRAVITATE CLARO

DN. CHRISTIANO GOLDNIKIO,

J. U. Practico famigerato,

Anno 1642. die 24. Decembris Hammerſtadii nato, Anno verò 1706. die 29. Julii è ſtatione ſua inter preces lacrymasqve adſtantium evocato, & in Æde D. Mariæ honorificentiſſimis Ceremoniis Dom. IX. Trinit. tumulato,

erectum à

MICHAELE WACHSCHLAGER, J.U.C.

IN Domino moritur vitæ ſatur atqve beatæ,
  Vivere qvi dignus ſecula plura fuit.
Certè Vir celebris, clarus probitate fidéqve,
  Juſtitiâ inſignis, magnus amore DEI.
Dexteritas ſi conſilii & prudentia Juris,
  Si pietatis amor, ſvadâqve grande ſonans.
Aſpera ſi Lethi Leges & ferrea fata,
  Poſſent mollire, aut ſede movere ſua;
Hunc digito nunqvam potuiſſet tangere, tantis
  Dotibus inſignem, trux Libitina Virum.
Aſt ea cum non ſint hominum, ſed munera Jovæ,
  Qvid mirum ut tandem reppetat ille ſua?
Cognati merito plorant & funera deflent,
  Atqve ſuum hunc omnes occubuiſſe gemunt.
Juſtus enim dolor eſt, ſi dira potentia mortis
  Abripit inſignem munificúmqve Virum.
Sed qvam grata qvies, & qvam mutatio felix,
  Contigit Extincto? præmia læta tenet.
Curis hic fractus variis & mole laborum
  Preſſus, qvam munus grande creavit ei.
Hinc comitatur honos illum, nunc præmia digna,
  Inqve poló æternum gaudia mille capit.
Clare vale Cenſor venerandi Juris & æqvi!
  Fama ſolo perpes ſit tua lausqve polo.
Interea afflictis ſolamina dulcia præſtet,
  Is qvi ſolatur pectora mœſta DEUS.

THORUNII, excudebat Johannes Conradus Rügerus, Nobiliſſ. Senatûs & Gymnaſii Calcographus.

3765

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU